

Letter 31a: [Before August 1519], Basel, Capito to Christoph von Utenheim.

This is the significantly revised and polished version of Ep. 7, which appeared in the reprint of J. Clichtove's *Elucidatorium ecclesiasticum* (Basel: Froben, 1519) ff. a2r- a2v. The changes were presumably made in 1519 in preparation for that edition, although the date at the end of the letter remained unchanged. The preface is reprinted in Johann Erhard Kapp, *Kleine Nachlese größten Theils noch ungedruckter und sonderlich zur Erläuterung der Reformationgeschichte nützlichen Urkunden* (Leipzig, 1733) Part 4, pp. 496-500.

Reverendo in Christo patri ac domino domino Christophoro de Utenheim episcopo Basiliensi Domino suo clementi V. Fabritius Capito salutem dicit.

Per biennium quo sum officio concionatoris in hoc ornatissimo templo Basiliensi functus, cui tu, reverende pater, merentissime praesides, diu multumque dubitavi unde nam vitia tanta in
5 clerum. Occurrebat incuria praesidum. Nam ad quamlibet impia feruntur connivere alereque
licentiam delinquendi; quae negatur, quoties repugnant, aut certe, quum ex animo nolunt, quoties
vel se fingunt repugnare [gr.] toioutois anethopioetois. Cohibetur enim nequitia, ubi propudiosis
non arridetur, ubi non applauditur, nec in familiam convictumque admittuntur praelatorum. Atqui
10 fortassis excusabiles habentur propterea quod eam rem nolunt tentare quam omnibus nervis
incumbentes perficere tamen desperant. Nam vitia per aetatem robustiora videntur altiusque
radices egisse quam ut evelli aut extirpari queant. Quanquam equidem nihilosecius annitendum
puto, quoniam plus assequitur in quovis negotio vigilans industria quam ocium resupinum.
Neque id dico, ceu dubitans de omnium episcoporum sedulitate ac fide. Multos agere vere
15 episcopos nolim inficiari, e quorum numero Dignatio tua existit. Sunt nimirum, qui dotibus
apostolicis adornati, super grege curando saepe cogitant, et eo vehementius, quod perspiciunt,
eum immedicabili contagio laborare. Quis enim medebitur, ubi nec sensus morbi? Quis imbuet
illum sapientia, qui ignorantiae suae sterilitatem non videt? Quemadmodum bona pars ordinis
nostri, cum nihil noverint, neque sacri neque prophani, omnium sibi rerum scientiam arrogant,
omnia definiunt, omnibus vitae leges dicunt, accipiunt nullas, plus appetentes videri quam esse
20 pii. Quin officii nostri rationem nullam ferme tenemus, nam libet vera loqui, Levitae sumus, et
cum filiis Cath obiecta ferimus onera mysteriorum. Christi gratiam evolutam in tegumentis
figurarum non contemplamur, hoc est, scopum ignoramus Christianae religionis. Adeoque
solennes preces [gr.] astorgoi et sine mente perstrepimus, sine affectu sacrificamus, sine
observatione allegoriae elatramus multa millia psalmodum, simillimi Euthetianis haereticis, quos
25 divus Hieronymus conficit. Inde nobis fastiditis sacris adlubescencia rerum noxiarum.

Cuiusmodi malum pessimum Iudocus Clichtoveus, theologus integer iuxta ac eruditus
submovere cupiens, quatuor libris, quos ab argumento inscripsit *Elucidatorium Ecclesiasticum*,
rationem divini cantus universam explicuit, non minus apposite quam aperte, citatis ad hoc
30 idoneis scripturae locis. Quid enim magis appositum reformandis moribus quam rei sacrae, cui
quotidie tot horis operamur, intelligentia? Qua exclusa videtur excludi Christianismus, revocatae
neniae superstitiosae Iudaeorum, fenestra data impiis cogitationibus. Communis enim sensus
reclamat erroribus vulgo receptis, tot ceremoniis inanibus, in quas proram et puppim, quod aiunt,
ponimus, tot [gr.] phratris, quae sunt sacerdotibus lucrosae, et id genus aliis bis mille tam
absurdis nugis, ut propemodum nihil interesse videatur, utrum Deum neges an in hunc modum
35 agnoscas.

Quod quidem *Elucidatorium* tibi, reverende pater, dedicare consilium est, munusculum, si
usum spectas haud indignum episcopali nomine, praesertim hoc tempore, iuxta proverbium

Hebraeorum, qui aiunt [heb.] tov aruchat yaraq, id est, suave prandium, olus virescens, nempe
latranti, ut ille ait, stomacho. Nihil autem his commentariis uspiam tempestivius, nihil magis
40 necessarium, quibus licet rem sacram intelligere, expurgare affectus perniciosos, pacificare
animum, revocare virtutem. Postquam enim percipiuntur, tum sacra verba memoria decoquit et
in vires, in nervos, in sanguinem convertit; quare supplicamus, optime Praesul, hosce
commentarios vulgo sacerdotum emendos iniungere velis, quo muneris accepti mysteria
pernoscant. Ea quidem opera pietati ad clerum rediturae ianuam aperies, terramque Antei, quod
45 aiunt, pedibus subiicies. Nemo est, ni fallor, qui legendis illis meliorem se fieri negabit magisque
se intelligentem officium suum, et magis inspiratum animo ad salutem, nisi is omnino, qui in
saxum, sicut obstinatus Pharaos, perduruit, Gryllo similis quem in suam incantatum nullo ingenio
potuit Ulysses persuadere, ut cuperet in hominem reverti. Verum de nobis ominor feliciora. Vale
in Christo Iesu, qui te pietati moribusque instaurandis diu conservet. Basileae, iii Idus Augusti,
50 anno MDXVII.